Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Lichtenthal 7

Langton, Stephen

Frankreich (?), [13. Jh.]

Baruch

urn:nbn:de:bsz:31-35356

Visual Library

In manibus nostris afferebamus panem nobis a facie gladii in deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Mulieres in syon humiliaverunt virgines in civitatibus iuda. Principes manu suspensi sunt. facies senum non erubuerunt. Adolescentibus inpudice abusi sunt et pueri in ligno corruerunt. Senes de portis defecerunt iuvenes de choro psallentium. Defecit gaudium cordis nostri versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri. ve nobis quia peccavimus. Propterea mestum factum est in dolore cor nostrum. Ideo contenebrati sunt oculi nostri propter montem syon quia disperiit. vulpes ambulaverunt in eo. Tu autem domine in eternum permanes. solium tuum in generatione et generatione. Quare in perpetuum oblivisceris nostri derelinques nos in longitudine dierum. Converte nos domine ad te et convertemur innova dies nostros sicut a principio. Sed proiciens repulisti nos iratus es contra nos vehementer.

Incipit baruc.

Et hec verba baruch libri que scripsit baruch filius nerie filii maasie filii sedechie filii sedei filii helchie in babylonia in anno quinto in septima die mensis in tempore quo ceperunt chaldei ierusalem et succenderunt eam igni. Et legit baruch verba libri huius ad aures iechonie filii ioachim regis iuda. et ad aures universi populi venientis ad librum. et ad aures potentium filiorum regum. et ad aures presbiterorum et ad aures populi a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in babylonia ad flumen sodi. Qui audientes plorabant et ieiunabant et orabant in conspectu domini. et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscuiusque manus. et miserunt in ierusalem ad ioachim filium elchie filii salem sacerdotem et ad sacerdotes et ad omnem populum qui inventi sunt cum eo in ierusalem. Cum acciperet vasa domini templi que ablata fuerant de templo revocare in terram iuda decima die mensis illius anni vasa argentea que fecit sedechias filius iosie rex iuda. postquam cepisset nabuchodonosor rex babylonis iechoniam et principes et vinctos et potentes et populum terre ab ierusalem et duxit eos in babyloniam et dixerunt. Ecce misimus ad vos pecuniam de quibus emite holocaustomata et thus. et facite manna et offerte pro peccato ad aram domini dei nostri. et orate pro vita nabuchodonosor regis babylonie et pro vita balthasar filii eius ut sint dies eorum sicut sunt dies celi super terram et det dominus virtutem nobis et illuminet oculos nostros ut vivamus sub umbra nabuchodonosor regis babylonie et sub umbra balthasar filii eius et serviamus eis multis diebus et inveniamus gratiam in conspectu eorum. Et pro nobis ipsis orate ad dominum deum nostrum quia peccavimus domino deo nostro et non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem. Et legite librum istum quem misimus ad vos recitari in templo domini in die sollempni et in die oportuno et dicetis. Domino deo nostro iusticia nobis autem confusio faciei nostre sicut dies hec omni iuda et habitantibus ierusalem regibus nostris et principibus nostris sacerdotibus nostris et prophetis nostris et patribus nostris. Peccavimus ante dominum deum nostrum et non credidimus diffidentes in eum et non fuimus subiectibiles illi et non obaudivimus vocem domini dei nostri ut ambularemus in mandatis eius que dedit nobis a die qua eduxit patres nostros de terra egipti usque in hunc diem eramus incredibiles ad dominum deum nostrum et dissipati recessimus ne audiremus vocem ipsius et adheserunt nobis mala multa et maledictiones quas constituit dominus moysi servo suo qui eduxit patres nostros de terra egipti dare nobis terram fluentem lac et mel sicut hodierna die et non audivimus vocem domini dei nostri secundum omnia verba prophetarum quos misit ad nos et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni operari diis alienis facientes mala ante oculos domini dei nostri.

II

Propter quod statuit dominus deus noster verbum suum quod locutus est ad nos et ad iudices nostros qui iudicaverunt in israel. et ad reges nostros et ad principes nostros et ad omnem israel et iudam ut adduceret dominus super nos magna mala que non sunt facta sub celo quemadmodum facta sunt in ierusalem secundum que scripta sunt in lege domini moysi ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filie sue. et dedit eos sub manu regum omnium qui sunt in circuitu nostro in improperium et in desolationem et in omnibus populis in quibus nos dispersit dominus et facti sumus subtus et non super quia peccavimus domino deo nostro non obaudiendo voci ipsius. Domino deo nostro iusticia nobis autem et patribus nostris confusio faciei sicut dies hec quia locutus est dominus super nos omnia mala hec que venerunt super nos et non sumus deprecati faciem domini dei nostri ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. Et vigilavit dominus in

malis et adduxit ea super nos quia iustus
est dominus in omnibus operibus suis que man
dauit nobis et non audiuimus uocem ipsius
ut iremus in preceptis domini que dedit ante
faciem nostram. Et nunc domine deus israel qui edux
isti populum tuum de terra egypti in manu uali
da et in signis et in prodigiis et in uirtute tua
magna et in brachio excelso et fecisti tibi
nomen sicut dies ista. Peccauimus impie egi
mus inique egimus domine deus noster in omnibus
iustitiis tuis. Auertatur ira tua a nobis
quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dis
persisti nos. Exaudi domine preces nostras et oratio
nes nostras et educ nos propter te et da nobis
inuenire gratiam ante faciem eorum qui nos
abduxerunt ut sciat omnis terra quia tu es
dominus deus noster et quia nomen tuum inuocatum est super
israel et super genus ipsius. Respice domine de domo
sancta tua in nos et inclina aurem tuam
et exaudi. Aperi oculos tuos et uide quia non mortui
qui sunt in inferno quorum spiritus acceptus
est a uisceribus suis dabunt honorem et
iustificationem domino sed anima que tristis est
super magnitudine et incedit curua et in
firma et oculi deficientes et anima esuriens
dabit gloriam et iustitiam domino. Quia non secundum
iustitias patrum nostrorum nos fundimus misericordiam
ante conspectum tuum domine deus noster. Quia misisti iram
tuam et furorem tuum super nos sicut locutus
es in manu puerorum tuorum prophetarum dicens.
Sic dicit dominus. Inclinate humerum uestrum
et ceruicem uestram et opera facite regis babylo
nis et sedebitis in terra quam dedi patribus
uestris. Quod si non audieritis uocem domini dei
uestri operari regi babylonie defectionem
uestram faciam de ciuitatibus iuda et
a foris ierusalem et auferam a uobis uocem io
cunditatis et uocem gaudii et uocem sponsi
et uocem sponse et erit omnis terra sine uesti
gio ab inhabitantibus eam. Et non audie
runt uocem tuam ut operarentur regi
babylonis et statuisti uerba tua que lo
cutus es in manibus puerorum tuorum pro
phetarum ut transferrentur ossa regum
nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo et ec
ce sunt proiecta in calore solis et in gelu
noctis et mortui sunt in doloribus pes
simis et in fame et in gladio et in emissi
one. Et posuisti templum in quo inuoca
tum est nomen tuum in ipso sicut hec dies propter
iniquitatem domus israel et domus iuda. Et fe
cisti in nobis domine deus noster secundum omnem benig
nitatem tuam et secundum omnem miserationem
tuam illam magnam sicut locutus es in
manu pueri tui moysi in die qua precepisti
ei scribere legem tuam coram filiis israel dicens.
Si non audieritis uocem meam multitudo hec
magna et multa conuertetur in minimam inter
gentes quo ego dispergam illos quia scio quia me
non audiet populus. Populus enim est dura ceruice. Et conuer
tetur ad cor suum in terra captiuitatis sue
et scient quia ego sum dominus deus eorum. Et dabo eis
cor intelligens et aures et audient et lauda
bunt me in terra captiuitatis sue et memo
res erunt nominis mei. Et auertent se a dorso suo
duro et a malignitatibus suis quia reminiscen
tur uiam patrum suorum qui peccauerunt in me.
Et reuocabo illos in terram quam iuraui pa
tribus eorum abraham ysaac et iacob et do
minabuntur ei et multiplicabo eos et non mi
norabuntur. Et statuam illis testamentum sempi
ternum ut sim illis in deum et ipsi erunt mihi in populum
et non mouebo amplius populum meum filios israel
a terra quam dedi illis. Et nunc domine omnipotens deus israel III
anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te.
Audi domine et miserere quia deus es misericors et mi
serere nostri quia peccauimus ante te qui sedes in sempi
ternum et nos peribimus in euum. Domine omnipotens deus israel
audi nunc orationem mortuorum israel et filiorum ipsorum
qui peccauerunt ante te et non audierunt uocem domini
dei sui et agglutinata sunt nobis mala. Noli
meminisse iniquitates patrum nostrorum sed
memento manus tue et nominis tui in tempore isto quia
tu es dominus deus noster et laudabimus te domine quia propter
hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris ut
inuocemus nomen tuum et laudemus te in capti
uitate nostra quia conuertimur ab iniquitate pa
trum nostrorum qui peccauerunt ante te. Et ecce nos
hodie in captiuitate nostra sumus quo nos
dispersisti in improperium et in maledictum et in pec
catum secundum omnes iniquitates patrum nostrorum
qui discesserunt a te domine deus noster. Audi israel
mandata uite auribus percipe ut scias
prudentiam. Quid est israel quod in terra inimicorum es.
inueterasti in terra aliena coinquinatus
es cum mortuis deputatus es cum descenden
tibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientie.
Nam si in uia dei ambulasses habitasses
utique in pace super terram. Disce ubi sit
sapientia ubi sit prudentia ubi sit uirtus
ubi sit intellectus ut scias simul ubi
sit longiturnitas uite et uictus ubi

sit lumen oculorum et pax. quis invenit locum eius.
et quis intravit in thesauros eius? Ubi sunt
principes gentium et qui dominantur super bestias que
sunt super terram. qui in avibus celi ludunt.
qui argentum thesaurizant. et aurum in quo
confidunt homines. et non est finis acquisitionis
eorum. qui argentum fabricant et solliciti sunt.
nec est inventio operum illorum. Exterminati sunt
et ad inferos descenderunt. et alii in loco
eorum surrexerunt. Iuvenes viderunt lumen et ha-
bitaverunt super terram. viam autem discipline ig-
noraverunt. neque intellexerunt semitas
eius. neque filii eorum susceperunt eam. a facie e-
orum longe facta est. Non est audita in terra chanaan.
neque visa est in theman. Filii quoque agar qui
exquisierunt prudenciam que de terra est negocia-
tores terre et theman. et fabulatores et exqui-
sitores prudencie et intelligencie viam autem sa-
piencie nescierunt. neque commemorati sunt
semitas eius. O israel quam magna est domus domi-
ni et ingens locus possessionis eius. magnus et non
habet finem. excelsus et immensus. Ibi fuerunt
gigantes nominati illi qui ab inicio fue-
runt statura magna. scientes bellum non hos
elegit deus. neque viam discipline invenerunt.
propterea perierunt. et quoniam non habuerunt sapienciam
interierunt propter suam insipienciam. Quis
ascendit in celum et accepit eam. et eduxit
eam de nubibus? Quis transfretavit mare
et invenit illam. et attulit illam super aurum
electum? Non est qui possit scire viam eius.
neque qui excogitet semitas eius. sed qui scit
universa novit eam. et adinvenit eam pru-
dencia sua. qui preparavit terram in eterno tempore
et replevit eam pecudibus et quadrupedibus.
qui emittit lumen et vadit et vocavit illud
et obaudivit illi in tremore. Stelle autem lumen
dederunt in custodiis suis. et letate sunt.
vocate sunt et dixerunt adsumus. et lux-
erunt ei cum iocunditate. qui fecit il-
las. hic est deus noster non estimabitur
alius ad eum. hic adinvenit omnem
viam discipline et dedit illam iacob
puero suo et israel dilecto suo. post hec super
terram visus est et cum hominibus conversatus est.
IIII. Hic liber mandatorum dei et lex que est in eternum.
omnes qui tenent eam ad vitam. qui autem de-
reliquerunt eam in mortem. Convertere iacob et apprehen-
de eam. ambula per viam ad splendorem contra
lumen eius. ne tradas alteri gloriam tuam et dig-
nitatem genti aliene. Beati sumus israel quia que

deo placent nobis manifesta sunt. Anime-
quior esto populus dei. memorabilis israel. venunda-
ti estis gentibus non in perdicionem. sed propter quod in ira
ad iracundiam provocastis deum. traditi estis
adversariis. Exacerbastis enim eum qui fecit vos
deum eternum. immolantes demoniis. et non
deo. obliti autem estis deum qui nutrivit vos. et contris-
tastis nutricem vestram ierusalem. Vidit enim iracundi-
am a deo venientem vobis et dixit. Audite civi-
tates syon adduxit deus mihi luctum magnum.
vidi enim captivitatem populi mei filiorum meorum
et filiarum quam superduxit illis eternus. Nutrivi enim
illos cum iocunditate. dimisi autem illos cum
fletu et luctu. Nemo gaudeat super me vidu-
am et desolatam. a multis derelicta sum propter pec-
cata filiorum meorum. quia declinaverunt a lege dei.
iusticias autem ipsorum nescierunt. nec ambulave- V
runt per vias mandatorum dei. neque per semitas
veritatis eius. cum iusticia ingressi sunt. Ve-
niant confines syon et memorentur captivita-
tem filiorum et filiarum mearum. quam superduxit illis
eternus. Adduxit super illos gentes de longinquo.
gentem improbam et alterius lingue. qui non sunt
reveriti senem. neque puerorum miserti sunt. et
abduxerunt filios vidue et a filiis unicam deso-
laverunt. Ego autem quid possum adiuvare
vos. qui enim adduxit super vos mala ipse
vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum.
Ambulate filii ambulate. ego autem derelic-
ta sum sola. exui me stola pacis. indui autem
me sacco obsecrationis. et clamabo ad altis-
simum in diebus meis. Animequiores estote fi-
lii. clamate ad dominum. et eripiet vos de ma-
nu inimicorum iniquorum principum. Ego enim
speravi in eternum salutem vestram. et venit mihi
gaudium a sancto super misericordia que veniet vobis ab e-
terno salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu
et ploratu. reducet autem vos mihi dominus cum gaudio
et iocunditate in sempiternum. Sicut enim vide-
runt vicine syon captivitatem vestram. sic
videbunt et in celeritate salutem vestram a deo.
que superveniet vobis cum honore magno. et
splendore eterno. Filii paciencer sustinete iram
que supervenit vobis. Persecutus est enim te inimi-
cus tuus. sed cito videbis perdicionem ipsius. et
super cervices ipsius ascendes. Delicati mei am-
bulaverunt vias asperas. ducti enim sunt ut
grex direptus ab inimicis. Animequiores es-
tote filii. et proclamate ad dominum. erit enim
memoria vestra ab eo qui duxit vos. Sicut
enim fuit sensus vester ut erraretis a deo. deci-

~~....~~ es tantum iterum conuertentes re
quiretis eum. Qui enim induxit uobis
mala ipse rursum adducet nobis sem
piternam iocunditatem cum salute
uestra. Animequior esto ierusalem exortatur enim
te qui te nominauit. Nocentes peribunt
peribunt qui te uexauerunt et qui gratu
lati sunt in tua ruina punientur
ciuitates quibus seruierunt filii tui pu
nientur et que accepit filios tuos. Sicut
enim gauisa est in tua ruina et leta fuit
in tuo casu sic contristabitur in sua deso
latione et amputabitur exultatio mul
titudinis eius et gaudimonium eius in
luctum erit. Ignis enim superueniet ei ab
eterno in longiturnis diebus et habitabi
tur a demoniis in multitudine temporis.
C.V. Circumspice ierusalem ad orientem et uide io
cunditatem a deo tibi uenientem. Ecce enim
ueniunt filii quos dimisisti dispersos ue
niunt collecti ab oriente usque ad occiden
tem in uerbo sancti gaudentes in honore
dei. Exue te ierusalem stola luctus et uexatio
nis tue et indue te decore et honore eius
que a deo tibi est in sempiterna gloria. Circum
dabit te diployde deus iustitie et imponet
mitram capiti tuo honoris eterni. Deus enim
ostendit splendorem suum in te qui sub ce
lo est. Nominabitur enim tibi nomen tuum a deo
in sempiternum pax iustitie et honor pie
tatis. Exurge ierusalem et sta in excelso et cir
cumspice ad orientem et uide collectos
filios tuos ab oriente sole usque ad occi
dentem in uerbo sancti gaudentes dei me
moria. Exierunt enim abs te pedibus duc
ti ab inimicis. Adducet autem illos dominus ad
te portantes honorem sicut filios regni.
Constituit enim deus humiliare omnem
montem excelsum et rupes perhennes et con
ualles replere in equalitatem terre ut am
bulet israel diligenter in honore dei. Obum
brauerunt autem silue et omne lignum suaui
tatis israel mandato dei. Adducet enim deus israel
cum iocunditate in lumine maiestatis
sue cum misericordia et iustitia que est ex ipso.
Incipit exemplum epistole eiusdem quam mi
sit ieremias ad abductos captiuos in ba
bylonem a rege babyloniorum ut annuncia
ret illis secundum quod preceptum est illi a deo.
C.VI. Propter peccata que peccastis ante deum abduce
mini in babyloniam captiui a nabuch

odonosor rege babyloniorum. Ingressi
namque in babyloniam eritis illic annis
plurimis et temporibus longum usque ad genera
tiones septem. Post hoc autem educam uos inde cum pa
ce. Nunc autem uidebitis in babylonia deos au
reos et argenteos et lapideos et ligneos in
humeris portari ostentantes metum gen
tibus. Uidete ergo ne et uos similes ef
ficiamini factis alienis et metuatis et metus
uos capiat in ipsis. Uisa itaque turba de
retro et ab ante adorantes dicite in cor
dibus uestris. Te oportet adorari domine. Angelus
autem meus uobiscum est. Ipse autem exquiram animas
uestras. Nam lingua ipsorum polita a fabro ipsa
et inaurata et inargentata falsa sunt et
non possunt loqui. Et sicut uirgini amanti or
namenta ita accepto auro fabricata sunt.
Coronas certe habent aureas super capita sua
dii illorum. Unde subtrahent sacerdotes ab eis
aurum et argentum et erogant illud in semet
ipsis. Dant autem et ex ipso prostitutis et meretri
ces ornant. Et iterum cum receperint illud
a meretricibus ornant deos suos. Hii autem non li
berantur ab erugine et tinea. Opertis autem
illis ueste purpurea extergent faciem ipsorum
propter puluerem domus qui est plurimus inter eos.
Sceptrum autem habet ut homo sicut iudex regi
onis qui in se peccantem non interficit. Habet gla
dium in manu et securim se autem de bello
et latronibus non liberat. Unde uobis notum sit
quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos. Sicut
ergo uas hominis confractum inutile effici
tur tales sunt et dii eorum. Constitutis illis
in domo oculi eorum pleni sunt puluere
a pedibus introeuntium. Et sicut alicui qui re
gem offendit circumsepte sunt ianue.
aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum
ita tutantur sacerdotes hostia clau
suris et seris [illegible] ne a latronibus expoli
entur. Lucer [illegible] nas accendunt illis et
quidem multas [illegible] ex quibus nullam uidere
possunt. Sunt [illegible] autem sicut trabes in domo
corda uero eorum [illegible] dicunt elingere serpen
tes qui de terra sunt dum comedunt
eos et uestimenta ipsorum et non sentiunt. Nigre
fiunt facies eorum a fumo qui in domo fit.
Super caput eorum et super corpus eorum uolant
noctue et hirundines et aues et similiter
catte. Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timu
eritis eos. Aurum etiam quod habent ad speciem est. Nisi
aliquis exterserit eruginem non fulge

bunt. neque enim dum conflaventur sen-
tiebant. Ex omni pretio empta sunt in quibus
spiritus non est in ipsis. Sine pedibus in humeris
portantur ostentantes ignobilitatem su-
am hominibus. Confundantur et qui colunt
ea. propterea si ceciderint in terram a semetipsis
non consurgent neque si quis statuerit eum rectum
per semetipsum stabit. Sed sicut mortuis munera
illis apponentur. Hostias illorum vendunt sacer-
dotes ipsorum et abutuntur. Similiter et muli-
eres eorum decerpentes neque infirmo neque men-
dicanti aliquid impertiunt de sacrificiis
eorum. Fete et menstruate contingunt. Scientes
itaque ex his quia non sunt dii ne timeatis
eos. Unde enim vocantur dii? quia mulieres apponunt
diis argenteis et aureis et ligneis. et in domibus
eorum sacerdotes sedent habentes tunicas
scissas et capita et barbas rasas quorum capi-
ta nuda sunt. Rugiunt autem clamantes
contra deos suos sicut in cena mortui. Vesti-
menta eorum auferunt sacerdotes et vestiunt
uxores suas et filios suos et filias. Neque si
aliquid boni mali patiuntur ab aliquo neque si quid
boni poterunt retribuere neque regem consti-
tuere poterunt neque auferre. Similiter neque
divitias dare possunt neque malum retribuere.
Si quis illis votum voverit et non reddiderit
neque hoc requirent. Hominem a morte non
liberant. neque infirmum a potentiore eripient.
Hominem cecum ad visum non restituent. de
necessitate hominem non liberabunt. Vidue
non miserebuntur neque orphanis benefacient.
Lapidibus de monte similes sunt dii illorum
lignei lapidei aurei argentei. Qui autem
colunt illa confundentur. Quomodo ergo esti-
mandum est aut dicendum illos esse deos?
adhuc enim ipsis chaldeis non honorantibus
ea. Qui cum audierint mutum non posse lo-
qui offerunt illum ad bel postulantes ab eo lo-
qui quasi possint sentire qui non habent mo-
tum. et ipsi cum intellexerint relinquent
ea. sensum enim non habent ipsi dii illorum. Mulie-
res autem circumdate funibus in viis sedent
succendentes ossa olivarum. Cum autem ali-
qua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte
dormierit. proxime sue exprobrat quod ea non sit
digna habita sicut ipsa neque funis eius dirup-
tus sit. Omnia autem que illis fiunt falsa sunt.
Quomodo estimandum aut dicendum est illos
esse deos? A fabris autem et ab artificibus facta sunt.
nichil aliud erunt nisi id quod volunt esse

sacerdotes autem artifices et ipsi qui ea faci-
unt non sunt multi temporis. Numquid ergo
possunt que ab ipsis fabricata sunt esse
dii? Reliquerunt autem falsa et opprobrium post-
ea futuris. nam cum supervenerit illis prelium et
mala cogitant penes se sacerdotes ubi se ab-
scondant cum illis. Quomodo ergo sentiri de-
beret quoniam dii sunt qui nec de bello se li-
berant neque de malo se eripiunt. Nam
cum sint lignea et inaurata et inargen-
tata sciretur postea quia falsa sunt ab universis
gentibus et regibus que manifesta sunt quia non sunt dii
sed opera manuum hominum et nullum opus dei
in illis. Unde ergo notum est quia non sunt dii sed opera ma-
nuum hominum et nullum opus dei in ipsis est. Regem
regioni non suscitant neque pluviam ho-
minibus dabunt. iudicium quoque non discer-
nent neque regionem liberabunt ab iniuria quia nil
possunt. sicut cornicule sunt inter medium celi
et terre. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum lig-
neorum aureorum et argenteorum sacerdotes quidem
eorum fugient et liberabuntur. ipsi vero sicut trabes
in medio comburentur. regi autem et bello non resis-
tent. Quomodo ergo estimandum est aut recipien-
dum quia dii sunt. Non a furibus neque a latro-
nibus se liberabunt dii lignei et lapidei et inau-
rati et inargentati quibus hii qui fortiores sunt
aurum et argentum et vestimentum quo operti sunt
auferent illis et abibunt nec sibi auxilium ferent.
Itaque melius est regem esse ostentantem virtutem suam
aut vas in domo utile in quo gloriabitur qui possidet
illud vel hostium in domo quod custodit que in ipsa sunt quam
falsi dii. Sol quidem et luna ac sidera cum sint
splendida et emissa ad utilitates obaudi-
unt. similiter [l. fulgur] cum apparuit perspicuum est. Id ip-
sum autem et spiritus in omni regione spirat. quibus
et nubes cum imperatum fuerit a deo perambulare u-
niversum orbem perficiunt quod imperatum est eis. ignis
etiam missus desuper ut consumat montes et silvas
facit quod preceptum est ei. Hec autem neque speciebus neque virtuti-
bus eorum similia sunt. Unde neque estimandum est
neque dicendum illos esse deos quando non possunt neque
iudicare neque facere hominibus. Scientes
itaque quia non sunt dii ne ergo timueritis eos. neque
enim regibus maledicent neque benedicent. signa
etiam in celo gentibus non ostendunt neque ut sol luce-
bunt neque illuminabunt ut luna. bestie
meliores sunt illis que possunt fugere sub tec-
tum ac prodesse sibi. Nullo itaque modo nobis
est manifestum quia sunt dii propter quod ne time-
atis eos. Nam sicut in cucumerario formido

nichil custodit. ita sunt dii illorum lignei
et argentei et inaurati. Eodem modo et in or-
to spina alba super quam omnis avis sedet
simili et mortuo proiecto in tenebras si-
miles sunt dii illorum lignei et inaurati
et inargentati. A purpura quoque et mar-
more que super eos tinea scietis itaque quia non
sunt dii. ipsi etiam postremo comeduntur et e-
runt in obprobrium et erit in regione.
Melior est homo iustus qui non habet si-
mulacra nam erit longe ab obprobriis.

Prologus in duodecim prophetas.

Non idem ordo est duodecim
prophetarum apud hebreos
qui et apud nos. Unde
secundum id quod ibi legitur hic
quoque dispositi sunt. Osee
commaticus est et quasi per sententias loquens. Io-
hel planus in principiis in fine obscurior
et usque ad malachiam habent singuli proprieta-
tes suas. quem esdram scribam legis et
doctorem iudei affirmant. Et quia longum
est nunc de omnibus dicere. hoc tantum vos o paula
et eustochium admonitos volo unum li-
brum esse. duodecim prophetarum. et osee contem-
poraneum ysaie. Malachiam vero aggei et za-
charie fuisse temporibus. In quibus autem tempus non
prefertur in titulo sub illis eos regibus pro-
phetasse sub quibus et hii qui ante eos
habent titulos prophetaverunt.

Prologus in osee.

Temporibus ozie et ioathe regum iuda
et ieroboam filii ioas regis israel. osee
filius beeri ad prophetiam docente spiritu sancto
repletus est. De memorato itaque numero
regum. achaz rex iuda. et ieroboam rex
israel. dominum relinquentes ut hystorie regum
et paralipomenon indicant in israel ydola-
tre civium impio ac potestate sua coege-
runt adimplere. Propter quod dominus ad osee hec lo-
cutus est dicens. Accipe tibi uxorem forni-
cariam sive fornicationum et fac filios for-
nicationis. fornicariam itaque non elocatam
corporis meretricem sed gentilem dominum ignorantem
appellat que dei creatoris sui contempto simu-
lacris se subiecit delictis. Sed cum propheta pre-
cepta dei in hac paruisset preceptum ex ea
filium iezrahel concepit nominare. deo polli-
cente post breve tempus sanguinem iezrahel
in domo hieu vindicare. Cuius promissi-
onis causa hec est. hieu per heliseum regem unc-
tum. ad defendendum sanguinem nabu-
the civis iezrahel qui tunc temporis in eo populis
erat. quem iezabel achab regis israel ux-
or interemerat. sicut hystoria regum expo-
nit. cum genus eius iuxta divinum preceptum
vindicandi sanguinis causa iam memoratum do-
mos deleuisset. hoc pacto deliquisse inve-
nitur. Cuius pronepote ieroboam qui lec-
tione comprehensus est originis sue terra immuta-
te. ac in terra dei precepta et rechele fuisse pro-
fusus in domo patris hieu patris memora-
ti ieroboe propter peccatum redundatur signifi-
catur. hinc tamen est ut ira dei in populum israel pro
denunciatione prophete processura dicatur. Domu-
um autem iude misericordia ob hoc lectione comprehensa promis-
sa est quia ezechias rex iude ache sublatis y-
dolis quam tam pater eius quam ceteri reges consecuerant.
templum dei purgasse ac purificasse de-
monstratur.

Item alius prologus.

Osee intelligit salvandos in xii principaliter veli-
quis profundior in sententiis et copiosi-
osior in intellectu. Iste ad eas tribus que
vocantur effraim et samaria domos io-
seph et israel loquitur. sed per effraim here-
ticos arguit. qui recedentes ab unitate
ecclesie principes facti sunt ydolorum. Per samari-
am autem eosdem hereticos demonstrat fi-
guram qui preceptorum dei custodes esse mentiun-
tur. et sub pretextu vitantes iudaicum colunt.
hic hystorialiter iudeos in ipso ultimo tempore
credituros pronunciavit. Tercium quoque diem
dominice resurrectionis predixit. Prophetavit autem
in diebus ozie regis iuda sive ieroboam
regis israel quando et ysaias. Fuit quoque de tribu ysa-
char natus in bethemoth. hic pronuncians
dedit signum. Veniet dominus quasi quercus
que est in sylo. In silo tempore in xii partes
erit divisa. totidem quoque querci efficietur. hic
intra sua sepultus placida quiete dormivit.

Incipit osee.

Verbum domini quod factum
est ad osee filium beeri
in diebus ozie ioathan
achaz ezechie regum iuda
et in diebus ieroboam filii ioas regis is-
rahel. principium loquendi domino in osee. Et dixit
dominus ad osee. Vade sume tibi uxorem fornica-
riam et fac filios fornicationum quia forni-
cans fornicabitur terra a domino. Et abiit et
accepit gomer filiam debelaim. Et con-
cepit et peperit filium. Et dixit dominus ad eum. Voca [illegible]
nomen eius iezrahel quia adhuc modi-
cum. et visitabo sanguinem iezrahel super